

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Nihil reliquii. Emblema CXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Nihil reliqui.

## EMBLEMA CXXVIII.



**S**CILICET hoc deerat post tot mala, denique nostris  
 Locusta ut raperent quicquid inesset agris.  
 Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,  
 Qualia non Atyle, castravè Xerxis erant.  
 Haec fenum, milium, farræ omnia consumpserunt:  
 Spes & in angusto est, stant nisi vota super.

## COMMENTARIUM.

- I. **P**INGE segetem cassis aut depastis spicis, quam turmatim circumvolitent locustæ, insecti illud genus, in perniciem frugum natum; quas tamen ventus versus mare spirans gregatim in illud propellere videtur. Locustam sic describit Claudianus in Epigram.  
 Horret apex capitis, medio sera lumina surgunt

Locusta  
 descriptio.

Vertice, cognatus dorso durefcit amissus.  
 Armavit natura cutem, dumiq; rubentes  
 Cuspibus parvis multis acuerè rubores.  
 Singularium locustarum descriptiones & picturam mox trademus; Vbi aliquid ad illustrationem huius epigraphes pertinens præmiserimus.

**NIHIL RELIQUI** Hæc epigraphe pro uerbium olet, ei simile, quod usurpauit Aristides,

II.  
 Ep. 1.

Aristides, in λόγῳ περὶ τῆ παραφθιγγα-  
τος. Οὐδὲν ἔτι ὦν. Nihil amplius. Sed  
hac oratoris verba, ubi de Nestore: Τὸ λε-  
γόμενον δὴ τατὶ, ἔδιν ἔτι ὦν εἰς ταῦτα  
ὑπὸ γῆρας. Iuxta id, quod dici solet, nihil  
amplius existere praesentio. Cui conuenie il-  
lud: Prater plorare nihil. quod Horatius in  
Satyris, & M. Tullius vsurparunt.

Historia  
de locu-  
stis.

DEFLET horribilem quādam cala-  
mitatem, qua fuit affecta Insubrū Longo-  
bardia circa annū, vt conijcere licet, 1541.  
Elevata enim nube locustae dicuntur ex  
aere cecidisse, quae legumina, herbas & gra-  
na fermē omnia depastē, induxerunt famē,  
& quorundam desperationem, quod post  
tot contaque infortunia nihil esset relictū.  
Habebant digiti longitudinem, turgida  
capita, ventres obesos, & sanie refertos.  
Itaq; extinctae intolerabili foetore aerē cor-  
ruperunt, vt etiam corui, cornices, accipit-  
res, aliaeque aues cadaueribus alioqui in-  
hiantes ferre nequuerint. Quod colligi-  
mus ex Cōmentarijs eorū, qui nostri tem-  
poris historiam congeserunt. Idemq; tra-  
dūt, in regionibus Poloniae regno finitimis  
incredibilem fuisse eiusmodi animalculo-  
rū multitudinē: nullas primō alas habuisse,  
sed magnos dedisse saltus: paulō post  
quatuor adeptas, tantoque numero cōuo-  
lase, vt duo milliaria in longum & latum  
cubito tenuis ita occuparet, vt ipsius quoq;  
splendorem Solis à toto illo terrae spatio  
sua densitate excluderent: vnde colligere  
est facillimum, rebus humi nascentibus  
damna innumerabilia inde subsecuta esse,  
quae ad radices vsq; omnia depastae essent.  
Cum verō succreuisent aë, erant digiti  
humani magnitudine, usq; in fruges atro-  
cius grafsabatur. Ceterū hae neq; vi, neq;  
industria alia propulsari potuerunt. Locusta-  
rum etiam in Africa multitudinem prodigi-  
um simile fuisse tradit Augustin. in lib. De  
ciuitate Dei tertio, cap. vltimo, cum iam  
populi Romani prouincia esset. Consum-  
ptis enim fructibus & folijs lignorum, in-  
genitū nabe in mare dicunt esse deiectam:  
qua mortua, secuta est aeris corruptio, quae  
tantam aduexit pestilentiam, vt in solo Ma-  
finisae regno octingenta hominum millia  
perisse referantur, & multo amplius in  
terris litoribus proximis. Haec ille. Hert-  
manus Schedel in Chronic. de dānis ab  
eodem animalii genere illatis ita cōme-  
muit. Lotharii Imperatoris tēpore, ait, à

Hertma-  
nus.  
Schedel.

Carolo Magnō tert il, locustae innumerabi-  
les sex alas habentes, & dentes duos lapide-  
duriore, in Gallia, veluti nix terrā oper-  
uerūt: herbas, segetes & arbores, ac vniuer-  
sa viriditatem habentia denastarunt. Tan-  
dem proiectae in mare, & ad littora in terrā  
eiectae, secuta est magna putrefactio: & in-  
de mortalitatem magnam, aerem inscien-  
tes, generalemq; hominum interitū susci-  
tarūt. Idem auctor hac de re sic alibi scri-  
ptum reliquit: Tempore Caroli Burgun-  
dionū Ducis, filii Philippi optimi, locustae  
per Italiam vagatae, Brixiae agrum deuas-  
tarunt, cum in Brixiano agro in maxima  
multitudine aduolarunt: quae Brixianis  
& Mantuanis maximum damnum intule-  
runt. Quibus nisi Ludouici Mantuanī  
Principis sollicitudo obstitifset, sara quoq;  
in tota Lombardia corrosissent. De locu-  
starum depastione fere quid simile narrat  
Gregorius Turonensis historiae Franciae  
lib. 6. cap. 33, sub regno Childeberti pro-  
uinciam Carpitanam grauitē à locustis  
fuisse vastatam, vt non arbor, neq; vitis,  
neq; silua, aut frutex, vel quidquam viride  
remaneret, quod non locustis euenteretur.  
Et cap. 44. Locustae de Campania prouin-  
cia, quam per quinque corrosferant annos  
progreffe, quasi publicum tenentes aggerē,  
ad aliam prouinciam huic vicinā se rece-  
perunt. Harum spatia extendebantur in  
centum quinquaginta millia lōgitudinis;  
lātitudo verō in cētum millibus termina-  
batur. Haec ille. Locustarum etiam memi-  
nere Imperatores in l. 18, C. de loc. & cōd.  
Excepto, aiūt, tempore, quo edaci locusta-  
rum pernicie sterilitatis vitium interces-  
sit, sequentis temporis fructus, quos tibi  
iuxta praeteritam consuetudinem deberi  
constiterint. reddi tibi prouinciae Praesēs  
iubebit. Huius quoq; depopulationis lo-  
custarum descriptionem elegantem habe-  
mus ex Piside, eo libro, cui nomē fecit πε-  
ρὶ κοσμεργίας. Ea sic habet  
Τὶς ἰκσαράτιναι παγκλητὴν τὴν ἀκρίδα;  
Ἔθνος πτερωτῶν εἰς φθορὰν Αἰγυπτίων,  
τὸ πτηνὸν ὄπλον εἰς ἀνάμνησιν Φόβου,  
Βίλος νεφῶδες ἐξ ἀθήλων τοξότου,  
Λόχην ἐτοίμην, ἀυτοκίνητον δόρυ,  
Πυκνὴν φάλαγγα, κυρίοσομον ξίφος,  
Ἰνδουτικὴν ἐπαλξίν ἀσάτυ μαχίρης;  
Οὐχ ἴσαται γὰρ, ἀλλὰ πλεῖται, καὶ πλεονεχί,  
Ἐρπεσσα πορθεῖ, καὶ κλονεῖ μερμήνη,  
Δοκεῖ δὲ φθίγγει, καὶ παλίνδρομος μίτης,  
Μ m 3 φθίγγει

Gregorius  
Turonensis  
de locu-  
stis.

Descri-  
ptio locu-  
starum,  
ex Piside.

Θέλει ποδὲ κερῶν, ἢ θέρει ποδὲ χόου,  
 Ω μὴν ἐμύλλγει τῶν ὅτων τὴν ἐμύδα.  
 Τρυγγὲ τὰ εὐλάην τρυγγὴν δι' ἐσοκε)  
 ἢ συλλγεί τὰ κῶλα, ἢ τείνει τὰ λιν  
 Ὡς πῶρ τὰ γέυρα τῶν βελῶν οἱ τοζόται.  
 Quisnam in aciem inducit locustarum  
 agmina?

*Aligera*, collecta in neces Aegyptias,  
*Voluce* genus armorum ad urgendum metū  
 Vt nubilam telum ab atri sagittarij,  
 Iaculū paratum, hastamq; motam vi sua,  
 Densam castruā, centicipitemq; gladium,  
 Sa'iensq; praesidium iniqui praelij?  
 Locusta enim non stat, feritq; & cursitat,  
 Vastatq; repens, peruolitat omnia loca,  
 Fugasq; simulat, reciproca & sistit via,  
 At perimit ante tempus, ante diem metit:  
 Arbusa marcere, & rigere herbas facit:  
 Crudū lignorum exsugit humorem omniū:  
 Vindemiāt folia, ac vorat vindemiam:  
 Cadauera modō congregat, modō dissipat,  
 Nervos sagittarum ut sagittipotens solet,  
 Et hostium corpus suorum vulnerat

*Hastilibus erurum vecuuiorum horridis* Pignoriū  
 Laurentius Pignorius solers historica ve-  
 ritatis indagator, hanc de qua loquimur  
 Insubrum deuastationem, à locustis factā,  
 in annum 1542. incidisse refert, & figurā  
 illarum locustarum eleganti effigie fide-  
 liter appingi curauit: Sic enim ille in suis  
 Notis: Locustæ anno Domini 1542. die  
 28. Augusti Insubriam, & Venetiam depo-  
 pulatae sunt. Id verò quo ad annum adeo  
 verum est, vt ambigere non liceat. Prae-  
 bar potro illarum agmen (vt traditum est)  
 monstrum, quod nos hic appingendum  
 curauimus, cum locustæ imagine, vt rei  
 memoria pereuntes, videantq; Prouidentie  
 diuinæ hostes, syntaxin DEI OPT.  
 MAX. in pœnis etiam insfigendis, ad quas  
 non sine mente & consilio prodit sapien-  
 tissimum illud Numen. Et huiusmodi pa-  
 rergo vsi sunt tunc temporis Phrygiones  
 (vt ego non semel animaduerti) in aulcis  
 exornandis. Hæc ille. Pictura verò ta-  
 lis est.

Effigies Locu-  
 stæ, & montiri  
 ipsam præceden-  
 tis, anno 1542.  
 Lombardiam  
 Insubrum infe-  
 stantis.



Hæc plaga locustarum (ait Sanctius) in  
 Longobardia Insubrum depastis omnino  
 frugibus, in Narbonensem prouinciā euo-  
 lauit: Austro verò stante, tandē diuisio nu-  
 ra in mare præcipitata est.

III.  
 POST tot mala] post tot acceptas cala-  
 mitates.

Locustæ vt raperent] absumerent, depa-  
 scerentur. Locustæ noxiæ sunt frugibus,  
 quas exedunt & perdunt ad intereionē.  
 Vnde

Locustæ.

Cicada  
humi canens,  
quid.

Vnde quidquid noxium est & incommodum, & perniciem affert alicui rei, meritò locusta vocatur. Aristoteles 3. Rhetor. ex Stesichoro prouer. vsurpauit, Cicada apud eos humi canent. *οἷον εἶπας λέγοι ὄπισθ' Ἀριστοτέλης ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι ἔδει ὕβρις εἶναι ἄνα, ὅπως μὴ ἢ τὴν πύργον χαμῶδες ἄδωσιν.* ut si quis dicat id, quod Stesichorus in Loeris extulit, non oportere conuiciare, ne cicada humi canant. Voluit poeta vastationem rerum omnium, ruinamq; extremam intelligere, adde vt non ædificia modò, sed ne arbores quidem stâtes relinquuntur, omniaq; solo equentur, vt cicadæ nihil habeant quo insideant. Hoc inde dum, quòd cicadæ arbutis maximè gaudeant. Exemplum est comminationis, quo significatur cuncta arbuta succisum iri stirpitus ab hostibus, ita vt sic truncatis stirpitibus cicadæ necessariò cogantur humi cantillare. Apud Theocritum puella depastrix alieni patrimonij, καλαμάδα μάντις appellatur, id est, locusta, quæ messem intercipiat. Arcendis locustis multa veteribus prodita sunt remedia, si vacat, lege apud Cassium Dionys. de agricultura lib. 13. cap. 1. De locustarum autem ortu & natura vide Plinium lib. 11. cap. 29. Locustis vesceretur sanctissimus Propheta Ioânes in deserto, quamuis aliqui aliter sentiant, dicente: ἀπίδες, locustas significare, & cacumina & summitates; vt intelligas D. Ioannem arborum aut herbarum summitatibus vesci. Sed his non obstantibus, verum esse mihi persuadeo, D. Ioannem locustis victitasse, quæ inter animalia munda numerantur in Leuitico, cap. 11. Testè habeo Adamantium, qui 11. Homilia in Lucam dicit. Ex alitibus verò non grande præpiagueve vllò, quo se liberius inuitare posset, habuit: nõ aeriuolum, quod cibum præberet delicatorem: sed exiguum admodum volucre, quod vix à terra exurgeret, saltitaretq; potiùs quàm volaret. Sunt etiam populi in Æthiopia & India, qui locustis pro cibo vtuntur, de quibus consule Diodorum, & alios.

S Ioannes  
Baptista  
an locustis  
vescebatur.

ἀπίδες  
φάγοι.

Vidimus innumeras turmas] innumerabilem locustarum multitudinem stâte Euro cõcretam saltitasse. Est autem hic allegoria ab exercitu, qui turmas & ducent habet.

Eurus.

Euro duce] Eurus ventus est calidus ab Oriente spirans, vt ait Ouidius:

Eurus ad Aurotram, Nabathaamq; regna recessit.

Dicitur, vt quidam volunt, ἀπὸ ἰωάννης, id est, ab aurora fluens.

Qualia non Atyla] De Atyla, siue Attila, quoniam non est iniucunda historia, nemini, puto, tædium afferet plenior verborum copia. Primùm omnium Gothi, deinde Vandali, postremò Hunni Hungariam ingressi sunt, & hi postremi terram retinuerunt, vnde & Hungariæ appellacionem sortita est. Crudelis hic locus maximam cladem vniuersæ propemodum Europæ intulit. Atyla ex Hungaria exercitum trecentorum millium duxit in Germaniam (alii dicunt 500000) plurimasq; potentes vires diripuit, inter quas Basilea, Augusta, Argentoratum, Vormacia, Colonia, & plures aliæ fuerunt. Inde in Galliam progressus, Burgundiorum regem cepit, Aureolam obsidione cinxit, & statuit totius Europæ sibi dominium vsurpare. Erat autem tunc in ea parte Galliarum ceterioris, quæ à Cæsariibus adhuc tenebatur, Romanus dux Aetius: hic fœdus iniit cum Francis, & cum Gothis, vt iunctis viribus crudelissimo tyranno Atylæ resisteretur. Atyla verò, quia timuit sibi à viribus Gothorum, sollicitauit Diethricum eorum regem, ne quid auxiliij Romanis suppeditarent: sed pro singulari constantia sua Gothi recularunt vllam vel amicitiam, vel cõfederationem cum tyranno barbaro contrahere. Itaq; in campis Catalaunicis vtrinque infestis signis congressi sunt. A Romanorum parte Aetius, Gothi & Franci ab altera Atyla. Est testatur historia, nunquam in Occidente tãtum ab vtraq; parte exercitum, tantamq; multitudinem collectam fuisse, perinde ab ea fuit, Pugnæ conflictus ab exortu Solis in noctem vsque durauit. Tandem in fugam conuersus Atyla amisit centena octoginta millia. Ipse etiam tãta angustia exagitatus est, vt nõ procul ab esset, quin seipsum peremisset. Aetius verò, Franci & Gothi, etsi victores erant, tamen Gothorũ rex Diethricus, siue Theodoricus, in eo constu perijt. Mortem patris filius vlcisci voluit, & statuit collectis copijs Arylam, & reliquum exercitum profus delere: & deleuiset haud dubie, nisi ex Actij cõsilio sententiã suam immutasset. Sed malum hoc fuit Actij cõsiliium, nam parua manu potuisset tũc vinci Aty-

Hungaria  
vnde sic  
dicta.

Exercitum  
Atyla.

Atyla vixit  
ans.



la. Postea verò reuersus in Hungariam, reparato exercitu, & collectis viribus, post Actij, deinde Valentiniiani eodem redijt in festior, & Italiam inuasit. Irrumpentem Atylam excepit Forum Iulij: in eo diuturniorem moram fecit oppugnatio Aquileie munitissimæ vrbis, quam triennio obsessâ solo aquauit. Cogit ratio longæ obsidionis, vt in eâ descendamus opinionem, vnica Aquileiensis populi vi non potuisse tolerari, sed Parauinorum, & aliorum, qui propè erant Romanorum studiosi, auxilijs suffultam tam diu stetit contra tantum barbarorum exercitum. Aquileia excisa, quæ contra aduentantes barbarus propugnaculum Italiæ fuerat, Atylas Concordiam, Alcinmque diripuit & incendit. Nec exitium Patavini effugere, quorum urbem pro viribus reluctantem demolitus item

Obsidio Aquileia.

Excidiũ Patavij. Excidium Patavij contigit anno ab ipsius origine 1560. Christi verò 452.

Origo Venetiarũ.

Patavinis, vti Aquileiensibus, cæterisque vicinis, noua ciuitas Venetiarum, in insulis æstuarijs ( quarum maxima & magis culta, imò magistratũ decorata, erat Riualtus) nuper ædificata consuluit, quo nobiliores familiæ, & preciosa quæque relata sunt, vt meritò in eam dicatur concessisse qui quid decoris & diuitiarũ in tota p̄uincia ex prædis barbarorum reliquum fuit. Et iam Atylam ipsam imperij arcem vrbem Romam petere fama ferebat, cum occurrens ei Leo Pontifex Romanus supplex petiit, vt retrocederet. Fertur dixisse Atylam, visam iuxta Pontificem astantem viri cuiusdam imaginem, minitatem sibi stricto gladio, & terrore percussum promississe se recessurum. Porro in Hungariã reuersus solennes nuptias egit, & prima nocte nimio vino obritus, præter expectationem effusa è naribus sanguinis copia, est suffocatus. Exitum hunc habuit hic tyrannus, quem nõ puduit publico titulo,

Atyla flagellum Dei, se appellare. Hæc contigerunt circa annum Domini 453. De Atyla & Hunnorum bello vide plura apud Paulum Diaconum lib. 15.

Castravũ Xerxis erant.] Xerxis historiam tam latè prosequitur Herodotus, libro 7. vt nõ sit iudicium eam huc referri. Iustinus quoque lib. 2. & Plutarch. initio libri, cui Parallela nomen fecit, pluribus de eodem agunt; hos itaque adeat, qui integram historiã velit nos portora, & quæ huc ma-

gis spectant, decerpemus. Xerxes rex fuit Perfarum, Dacii filius; inceptum à patre bellum in Græciam instaurat. De numero militum sic ait Iustinus loco: citato: iam Xerxes septingenta millia de regno armaverat, & trecenta millia de auxilijs, vt non immeritò proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Græciamque omnem vix capere exercitum potuisse. Herodotus in Polymnia, c. 15. sic: Nanius summa triũ millium fuit, in eis fuerẽ virorum vigintiquatuor myriades, id est, ducenta & quadraginta millia. Hæc igitur erat classis ex Asia vnus & quinquaginta myriadum virorum in vniuersum, & præterea septem millia sexcenti decem. Peditatus fuit decies septies centena millia, equestratus octoginta millia. Quibus adde Arabes, qui camelos; Pænos, qui curru s agebant, quæ facio vigintimillia. Quæ copias classiarie & terrestres in summam redactæ sunt, ter & vicies centena & decem; & septem millia sexcenti & decem. Huic tanto exercitui obuium se tulit ad Thermopilas Leonidas cum quadringentis Lacedæmonijs, qui etsi omnes mortem oppetierunt, tamen circiter viginti millia Perfarum prius strauerunt. Tandem Xerxes à Themistocle Atheniensium duce fusus, turpiter aufugit. De eodem Xerxis exercitu si maais habere fidem Isacio Tzerzi, Lycophronis interpreti, hæc habet: Numerus exercitus Xerxis erat quingente myriades, naues mille ducentæ & sexaginta: quadringentis talentis opus erat exercitui singulis diebus. De eodem Claudianus 2. in Rufinum:

*Haud aliter Xerxes toto simul orbe secutus  
Narratur rapuisse diem, cum classibus iret  
Per scopulos, restumque pedes contemneret  
æguor.*

Haec senum, &c.] interceperunt omnem annonæ spem.

Farræ omnia consumpsorunt.] Rei difficultas spondaticum fecit. Priores editiones non farræ omnia, sed, corda omnia, elegantius habebant. Corda autem non à voce, cor cordis, sed à cordum cordi, quod est secundum scænum, post messionem primâ germinâs, vt ex Plinio liquet c. 28. lib. 18.

Spes in angusto est.] Restat desperatio. Videtur Metaphora à captiuis.

Stans nisi vota super.] Id est, nil nisi vota superflua, vt habet Ouid. lib. 1. Trist.

Elegia

Xerxis exercitus.

Xerxes victus.

Cor dum.

Elegia 2. Hic enīq notanda Traces, & Anastrophæ.

## IV.

DOCEB Emblema, qua ratione & modo DEVS TER. OPT. MAX. populum suū coercere & punire soleat, cui nemo resistere, imò nec effugere potest; et enim calamitatum ac miseriarum talium catena est, cui illigati omnes implicamur, nescio quo fato: communi certè, nec inuēto vno, qui liber sit aut exemptus ab hac lege. Casus, fortuna, periculum, arbitri sūt humanarum rerum, & ludunt nobiscum, coniuuente Deo & probante, si qua confidentia aut spes in ipsū. Permittit affligi, tentari, turbari; malos, vt perdat; bonos, vt meritum augeat, & eò amplior sit premiorū ex diuino eiusdem sinu refugio. Da mihi punctum horæ, non dico horam, diem aut mensem, vbi serenitas & plena hilaritudo mēris, sine punctura & felle, seu priuata spectes, seu publica. Epistolam tradit tabellarius (ecce absynthiū & nectar in eodem vase) lego, placent exordia, sed tristis exirus: rilius in fronte, in calce lacrymæ. In villam cogitas laxatum curas, occurrit in porta paterni lethi nunciū: regredoris, in turbas incidis, plaga infligitur, dolor & ira occupant mentem: vix bene contingis limen, clamores audis, filiolus crus fregit, mater concidit præ dolore mortuæ similis. Iacet in stabulo seruus alligatus equi comminuto femore. Nōne cōnexio hæc malorum, & funiculus quidam per internodia sua distinctus? Referant singuli, factos cōtexemus & commentarios integros. Structuram molitur quispiam domicilij, feruet opus, educitur: inuolat fulmen & absumit iumenta, & quidquid inest supellectilibus: de renouando sollicitus est, lignatores mittit succidendæ materiæ, ruit quercus præpostero casu, strages miseranda editur: descēdit in animum accepta elades & vellet præcordia, contabescit luctu, morbus corripit, periclitatur vita. Coniux præuisa orbitatis præfugio, & cōmuni damno perterrita, deserit anchoram spei, laqueo inuehit gulam, & infami obitu spiritū extrudit. Nec finis est in his talibus priuaris. Hic torrens exundat, trahitq; aquarum & arenæ molem secum publico excidio: flamma alibi erumpit serius deprehensa, grassatur & depascitur omnia. Hic terræ latera concutit subinetans & collectus vëtorum turbo, & subuertit ædes, imò rantes nonnun-

quaq; vt nuper vidimas: grandinis ibi lazeus imber fulminat, & conterit seminat; alibi locusta & insectorum pestis depopulatur spem anni: ciuilibus bellis implicantur alij: multos penuria subigit, & extrema fames exercet: alibi pestifera lues & acris infectio. Nusquam non foecunda seges malorum. Deicitur, qui humi repit, nec attulit oculos; vt qui in medio mari fluctus tantum spectat, non cælos. Meminisse, nos ad hæc procreatos, inuat aliquid, & hebetar communè hunc doloris mortuæ. Preuidere finem horum in alio sæculo, & fertum victoriæ, impellit ad respiciendū & assurgendum, vt cautiùs ambulemus, & moriamur libentiùs. Audi quæ D. Ambrosius de hisce plagis, & sigillarim de locustis scribat lib. 5. Hexamer. cap. 24. Vtque ad locustam, ait, quoq; gratia diuina penetravit, quæ cum agmine conferto regionis cuiusq; occupauerit latitudinem, innoxio primū fertur habitaculo, nec fructus inhospitali incursione depascitur, nisi diuinæ signum præceptionis acceperit. Et enim sicut in Exodo legimus, ea quoq; celestis vltionem offensionis exequitur, piæ maiesta vindictæ. Hanc quoq; auis deuorat Seleucis. Sic enim Græco hæc auis nūcupatur nomine, data ad remedium malorum, quæ locusta consuevit inferre, cui creator inexplibilem dedit deuorandi naturam, vt insatiabili pastu plagam suam possit extinguere. Hæc Ambrosius. Similem locustarum plagam etiam Exodi 10. minitatur Deus Pharaoni per Moysē: Ecce ego, inquit, inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiet superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed depasceat residuum quod saluatum, quodq; relictū est vobis à grandine. Corroder enim omnia lingua, quæ germinat in agris, & implebunt domos tuas, & feruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum, quantum non viderunt patres tui & auis. Et Amos 7. cap. Et ecce factus locustarum venit matutinus: & ecce bruchus vnus Gog rex. Et erit, si compleuerit, vt deuoret scænum terræ. Vel secūdum communem & approbatam versionem: Et ecce fctor locustæ in principio germinantium serotini imbris: & ecce serotinus post tonsionem regis. Et factū est, cum cōsummasset comedere herbam. Vide etiam in Apocalypsi cap. 9. & apud Iosephum lib. 2. Antiquit. cap. 13.

Malè

Ambrosij  
locus de  
locustis.

Exodi 10.

Catenata  
calamitatis  
series.

Publica  
malum.